

IN LIBRUM OCTAVUM

EPITOMA.

P Rinceps Principem, quod nunquam ante, post sublatam cooptandi collegæ consuetudinem acciderat, extulit: Belli cum Othomano Rege suscepti causæ: Peloponnesi descriptio: Veneti, Argis receptis, Isthmum communivere: Venetæ copiæ frustra sunt Corinthum oppugnare adortæ: In Italia Venetus Tergeste obsidione cinxit: Turci cogunt Venetos Isthmum relinquere: Ad Neapolim bis in Turcos prospere pugnatum: Eodem tempore Tergestini & Ariminenses sunt obsidione levati: Veneti ad Talamatam in Peloponneso victi, insignem cladem accepere: Ursatus Justinianus magna suorum cæde bis Mitylenas in Lesbo oppugnare est adortus: Sigismundus Ariminensis Lacedæmonem oppugnavit: Veneria triremis Dardanulos prætervecta, incolumis noctu ad suos rediit: Pius Pontifex Anconem progressus, paulo post Principis & Venetæ classis appulsum vita decessit: Stipendium Pannoniæ Regi publico nomine est a Christianis decretum: Victor Capellius post multa præclara facinora in hostes edita, clade ad Patras accepta, mœröre affectus vita decessit: Bartholomæus Bergomas, cognomento Collio, in Flaminiam progressus, rem Venetam in novi belli discrimen pene traxit: Nicolaus Canalis classis imperator Oenum diripuit: Maomethus terra & aquis Chalcidem aliquandiu obsessam, ingenti Venetorum clade cepit.